

I. N. 7.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

INSIGNIBUS
NOBILIIUM,

Quam,

In Regiâ & celebri Academiâ Aboënsi,
Suffragio Ampliss: FAC. PHILOS.

SUB PRÆSIDIO,

Admodum Rever. & Praclarissimi,

DN. TORST. RUDEEN,

Poësis Professoris Ordin.

Honores Philosophicos consecuturus,

Publicæ censuræ modestè submittit

BENEDICTUS GRANRODZ!

Ost. Bothn.

Ventilabitur D. V. in Auditorio Max.

die 11 Junij. A. M. DCC. VI.

Exc. JO. WAL.

*Consultissimo; Admodum & Plurimum Re
Reverendis atque*

DN. ANDREÆ MATHESIO,
Territoriali per magnam partem
Bothniæ Orientalis Judici æquis-
simo.

M. JOHANNI GEZELIO,
Pastori in Pedersöre & Præposito
laudatissimo.

DN. CAROLO FORSMAN,
Consuli Civitatis G. Carleby juris
servantissimo.

DN. ISAACO FALANDRO,
Consuli NyCarlebyënsi spectatissimo.

DN. CAROLO SCHÆFER,
Mercatori Aboæ incluto.

Patronis, Promotoribus,
Nutritioque non ita
singulatim quâ par est ob
hono

RIS

*verendis; Præclarissimis, Spectatissimis,
Doctissimis Dominis,*

M. JACOBO FALANDRO,
Pastori S. Carlebyënsi Amplissimo,
Præpositoq; Eccles. adsitarum gra-
vissimo.

DN. JOHANNI FORSMAN,
Pastori in NyCarleby diu meritif-
simo.

M. ERICO CAJANO,
Pastori Cronobyënsis gregis adten-
tissimo.


DN. ANDREÆ FROSTERO,
Sacellano Uhloënsi fidelissimo.

DN. JOHANNI BRAX,
Collegæ Scholæ Uhl. perindustrio.

**Evergetis, Fautoribus,
pridem, & Affini,
servantiâ suspiciendis,
randis.**

VOBIS, O OPTIMI, animo cultus
Et obsequii pleno, tenuis licet
hunc abortivum ingenii foes-
tum, jure meritoque, ob beneficia in
me collata maxima Et favorem sum-
mum, pio cum voto, devotisq; quam-
diu spiritus hos regit artus suspiriis,
pro incolumitate VESTRA perenni,
Et quavis felicitate, sacrum esse
volui,

Auctor - Respondens.



Uper insignibus cum brevem
admodum, pro tempore &
ingenii modulo, dissertationem
scribere animum induxerim;
que primo intuitu cuivis
manifesta credidi, lubens praterivi, ad ce-
tera majoris momenti, quantum justis sub-
sidiis destituito licuit, potiori jure adtendens,
Veritus autem tuo, Lector Benevole, ut desi-
derio satisfactum fuerit, nihil quippe, ac rio-
ri quod sapiat judicio, ingenuè fateor heic
inveniri; equiorem, quâ par est modestiâ,
censuram expeto.

A

Paſ.

§. I.

Passim in scriptis Eruditorum vocem
 insignium oculis usurpare licet, sed
 ut plurimum alio, quàm quo ego sensu
 ea intelligam: unde prima mihi in hac
 opellâ erit cura, ut, quid significant, in-
 dicatum eam. Memorantur sæpius cum
 suis substantivis ab Auctoꝛibus arma,
 corpora & facta insignia, quibus, nisi
 speciosum, decorum, notabile, eximium
 & singulare quid, nihil ostenditur; ast
 hæc tanquam aliena prorsus, in cœpto
 negotio nullius sunt considerationis. Ne-
 que propius huc faciunt signa illa com-
 munita, sive *hieratica*, sive *profana*, quibus
 tum in *sacris*, tum *civilibus* rebus aliquid
 indigitabant Veteres, quod ex Webero,
 Artis Herald: cap. 2. liquet. Similiter
 quæ Virgilius Danaum cantat insignia,
 vel pro armis simpliciter, ut ea Servius
 exponit, vel pro certis clypeorum si-
 gnis, in prælio adhibitis, ad discernen-
 dum amicos ab inimicis, sunt accipienda.

Erant

Erant & inter Romanos quondam varia Regum atque Magistratus insignia: Vide Florum lib. 1. c. 5. *diadema, purpura sive toga prætecta, sceptrum, annuli, fasces, sella curulis, & ejus generis plurima alia ornamenta; verùm à nostris hodie usitatis insignibus multùm discrepantia.* Familiarum insignia, quorum mentionem facit Suetonius, cap. 35. in vitâ Calig: ipse, qualia fuerint, eodem loco explicat, dum Nobilissimo cuique Cæsarem Caligulam illa ait ademisse: *Torquato torquem: Cincinnato crinem: &c.* peculiari namque signo & ornatu, ab aliis certæ quædam familiæ honoris gratiâ sese distinguebant. Hinc non immeritò suspicari licet, annon priscis illis temporibus insignia, quatenus id designant, quod nos Sueci patriâ linguâ *Sköldmärke*/notas scutorum, sive *Wapen* communiter dicimus, Veteribus quoque cognita & in usu fuerint. *Sunt nobis insignia, certe quædam rerum imagines, in scutis vel clypeis sculptæ, calate aut pictæ, ad signifi-*

candam status, conditionis, dignitatis, potestatisve differentiam. Adpellantur Latio idiomate *arma*. Becmanus differt: II. cap. 2. §. 14. notitiæ dign. *arma gentilitia* vocat, rationem denominationis Weberus loco paulò ante cit: adfert, quod primitus vel scutis atque armis erant insculpta, vel ab initio, ceu virtutis bellicæ præmia, armatis solummodo dabantur, vel quod ex armorum figuris plerumque componebantur. Neque aliam subesse causam existimo, quâ Germani ea *Schild/Helm und Wap-pen* / Græci *ὄπλα, ἀσπίδας, σκετάρια*, Galli *armoiries, blasons*, Angli *armes*, Itali *arma*, adpellitent, quàm quod arma illis scuta, vel clypeos significaverint, scuta verò insignita pro ipsis nominabant insignibus. Atque de hujusmodi in præsens, (utinam felici auspicio!) exiles ingenii vires periclitari statutum est.

§. II.

Cum iis igitur, qui, pro insignium notitiâ, aliquid in lucem ediderunt, quia
non

non uno modo ea distingvunt, in ipso li-
mine, varias eorum divisiones recensebo.
Weberus iterum cap. dicto, optimè ea
censet in genere ita distingui, si quæ-
dam dicantur *insignia dignitatis*, certæ ni-
mirum alicui personæ, intuitu muneris
cujusdam vel dignitatis data, *Wappen
sonderbahrer würde* vocat; *alia domini*,
wahre herrschafft=oder Lehen=wappen /
quæ intuitu terræ cujusdam, regni, prin-
cipatus, comitatus aut dynastiæ gerun-
tur; *alia communitatis*, *gemeinen Wappen* /
quibus Civitates, Academiae, Ordines,
Monasteria, aliaque Artificum & opifi-
cum collegia utuntur; *alia familie*, *ge-
schlechts Wappen* / quæ hanc ab illâ quasi
επιτηδεια discernunt. Ratione temporis
quædam *nova* vocat insignia, quædam
antiqua; ratione compositionis, quædam
simplicia, quæ unâ, *alia composita*, quæ plu-
ribus constant areis; ratione efficientis,
alia publica *alia privata*. Ita Nobilissimus
Spelmanus, in suâ aspilogiâ, tempus re-
spiciens, in *Heroica* & *hodierna* ea dividit,

quamvis ipse mox neget Heroicis temporibus aliqua in usu fuisse insignia, qualia hoc nostro ævo usurpantur. Kecker-mannus, lib. 1. Syst. Pol. pag. 126, hodierna insignia, in *Principum*, & eorū qui *sub Principe* sunt, *Plebejorum* & *Nobilium* dispescit, ubi per insignia plebeja, signa fortè vulgaria, *Stempel* atque *Bomärkte* intelligit, haud secus ac Hœppingus latissimā insignium divisione, in *publica* & *privata*, *realia* & *verbalia*, *sacra* & *non sacra*, cujuslibet rei notas videtur complexus, quod libro de antiquis Regni Sueciæ insign. cap. 2. Celeberrimus DN. Schefferus observat, ipse licet & plebejis vera aliquando insignia collata esse demonstrat. Cæterum Nobilium ut alii sunt superiores: Duces, Comites atque Barones; alii inferiores super plebejum tamen statum eminentes; ita priores insignibus, nomine Regni, provinciæ, vel territorii, in quod jus habent, reliqui nomine ditionis, prædiorum, aut familiæ suæ, utuntur. Et commodissima mihi, modo

nominatum Schefferum secuto, adparet
 ejus distinctio, quâ quædam docet esse
summa potestatis, quæ, *personalia*, cum iplo
 munere accipiuntur, & certis addicta
 personis post mortem ab illis transeunt;
 quædam illorum, *qui sub potestate versan-*
tur, familiaria, in eâdem semper familiâ
 permanentia, nec nisi familiâ finitâ de-
 sinentia.

§. III.

Ita distinctione insignium leviter præ-
 libatâ, fortè non incommodè brevissi-
 mis partium quoque eorundem aliquam
 mentionem faciam. Weberus, loco sæ-
 pe dicto, partes ostendit tum *essentiales*:
 materiam & formam; tum *integrales*, sine
 quibus imperfectionis arguuntur. Cæte-
 rum hoc idem facile haberi ex iustimo, ex
 recensione Limnæi: memorat siquidem
 ille, lib. 14. §. 1. de re milit: 1. *Scutum seu*
campum, h. e. subjectum, cui insignia in-
 hærent, 2. *Emblemata*, atque colores scuto
adherentes, 3. *Galeam*, 4. *Clinodia*, ornatus
 causa

caussa galeis adjecta, & 5. sustentacula, que insignia sustinent & fulciunt. Scutum ideo prisca insignium Auctores partem voluerunt esse primariam, quia inter reliqua arma ut maximè erat conspicuum, ita eò & defensivè & offensivè potissimùm in prælio utebantur; unde scripsit Livius: Lib. 3. c. 53. *scuto magis quàm gladio plebi opus est.* Et qui scuta abjecissent, aut reliquissent, infames Græcis, Romanisque, nec non Germanis habitos, in notis ad Ælianum Schefferus testatur. Hinc Epaminandas Dux Thebanorum lethali vulnere accepto, *ut, relatus in castra semianimis, vocem spiritumq; collegit, id unum à circumstantibus quaesivit, num cadenti sibi securum ademisset hostis, quod ut servatum audivit, adlatum velut laborum glorieque socium osculatus est.* Justin Lib. 6, cap. 8.

§. IV.

Misã prolixiori partium expositione, tincturas, metalla atque colores, quibus in scutis imagines repræsentantur & discer-

discernuntur, sicco non planè transibo pede. Duo metallorum præcipuè huc referuntur genera, eaque excellentissima, aurum & argentum, ad quæ cætera possunt reduci. Aureo colore felix seculum notarunt, quemadmodum Virgilius Ecloga IV.

- - - - *Toto gens surget aurea mundo.*

Aspice, venturo latentur ut omnia seculo.

„ Aurum Soli adsimilatur & gemmis, To-
 „ pazio & chrysolito. Ex signis Leoni, &
 „ Julio mensi respondet, roburque & a-
 „ dolescentiam designat. Albus sive ar-
 „ genteus color animi candorem purita-
 „ temque, vel ut alii observant, fidem in-
 „ sinuat. Ex planetis Lunam, ex signis
 „ Cancrum, ex lapillis Margaritam Be-
 „ rillumque, ex elementis aquam, item
 „ phlegma & infantiam refert. Inter co-
 „ lores, rubeum, apud plerasque gentes
 „ summi honoris indicem, primas tenere
 „ ait Weberus. Magnum animum decla-
 „ rat; Marti, *Arieti* & Scorpio, carbunculo
 „ & corallio, igni, autumno, bili, ætati vi-

„ rili, rubentibus rosis & candenti ferro
 „ respondet. In symbolis amoris ardorem
 „ plerumque indicat. Cœruleus justitiæ
 „ & claritatis, famæq; est indicium. Pla-
 „ netæ Veneri, & signis cœlestibus Tauro
 „ & Libræ, elemento quoq; aëris respon-
 „ det, atque sapphiro. Viridis spem, ro-
 „ bur & vigorem portendit, ad res natu-
 „ râ sic comparatas usurpatur; Planetam
 „ Mercurium, signa Geminos & Virgi-
 „ nem, ac ver, juventutemque & sma-
 „ ragdum refert. Niger oculo non ita
 „ gratus, parcius adhibetur, prudentiæ
 „ & firmitatis est signum, Planetæ Sa-
 „ turno, signis cœlestibus, *Arieti*, Aqua-
 „ rio & Geminis, item Adamanti, Aga-
 „ thæ & chelidonio, elemento terræ, hie-
 „ mi, melancholiæ, ætatiq; decrepitæ
 „ & plumbo convenit. Purpureus, Re-
 „ gius olim color, & in insignibus per-
 „ quàm rarus, hodie amplius vix inter
 „ tincturas cernitur, vim imperii signi-
 „ ficabat. Jovisque Planetam, Sagittari-
 „ um & Pisces, nec non stannum, gem-
 „ mam

„mam opalum, irim florem, senecturam & fulgur referebat. Hæc quidem de tincturarum significationibus dissert: 6. cap. 3. Not. Dignit. Clarissimus Becmanus; verum secretos hosce sensus, atque superstitiosos, vel parum saltem in recessu habentes, ab eorum, qui primitus arma dederunt aut sumere ipsi, mentibus alienos fuisse, omnes credo facile concessuros.

§. V.

Quemadmodum in omnibus simplicitas haud dubia nota est antiquitatis; ita simplissima quondam, ubi primum usurpari cœpta, & quibusdam duntaxat coloribus, qui interdum quoque omittebantur, distincta fuisse insignia nullus dubitaverim. Cæterum ubi majori cæperunt splendore confici, quæcunque ad ornatum spectant ab Heraldis diligenter sunt observata; unde tincturas adesse necessarium nunc omninò habetur. His autem absentibus, quibus illi colores notis

in tabulis æneis præcipuè designentur, indicare teneor. Hoc à latinis & Germanis aliquamdiu literis initialibus factum esse Weberus libri sui cap. 6. ostendit: *V. gr. Aurum, Gold / per A. S. Argentum, Silber / Weis / per A. S. W. Viride, Grün / per V. G. interdum etiam per trifolium expressum dicit, Rubrum Roth / per R. R. Cæruleum, Blau / per C. Bl. Nigrum ex ipso colore impressorio ait patere. Spelmanum notis Planetarum idem significasse, eodē loco refert: Aurū per signū Solis ☉, argentum per Lunæ ☾, nigrum per Saturni ♄, cæruleum per Jovis ♃, rubrum per Martis ♂, Viride per Veneris ♀, purpureum per Mercurii ☿, indigitasse. Tandem elegantio rem modum superiori seculo in Gallia receptum tradit, quo aream in scuto auro tingendam punctulis notarunt, argento albam relinquerunt, rubei coloris aream, lineis perpendicularibus, cærulei horizontalibus transversis, viridis diagonalibus dextris, purpurei diagonalibus sinistris, nigri*

gri cācellis , seu perpendiculariter & transversim se intersecantibus, distinxerunt.

§. VI.

JAM licet perexiguum sit, quod de ipsis adduxi insignibus, ad primum eorum initium & antiquitatem investigandam, transitum faciam. Arduum certè diversitas opinionum veritatis studioso facessit negotium, maximè cum primum, eumque verum auctorem, fide digna non facilè aperiant monumenta. Semper quidem homines operam dedisse, ut signo aliquo virtutis, dignitatis aut fortunæ conspicui essent, verosimile videtur; inde tamen usum insignium adeò antiquum, ut ab initio rerum obtinuerit, non potest quis sine furo monstrare. Nec quamvis frequenter omnes, in variis negotiis, signa usurpaverint gentes, utpote necessaria ad absentium animos explicandos, hæc statim cum nostris armis gentilitiis sunt confundenda, anti-

quis fortè planè ignota. Egregiè quàm discrepantes circa horum principium fuerint suspensiones, in Animadversionibus ad Antiquit: Hetrusc: Leo Allatius ostendit: *sunt, inquit, qui usum armorum, (ita vocat insignia) antiquissimum opinantur. Alii Regibus Ægyptiis, illisque vetustissimis, ut se inter pugnandum ab aliis; alii Hispanis sub Fuliani desertoris imperio, cum ea regio Maurorum præliis exardesceret, ut Nobiles se ab aliis distinguerent; alii Hunnis, ad pompam fastumque cum Italiam invaderent; alii Arturo Britannia Regi, cum militaris illa nobilitum virorum disciplina vigeret; alii Carolo Magno; alii Friderico Barbarossa, inventum acceptum referunt.* Alii denique Ægyptios non armorum, sed insignium & figurarum, quæ postea arma condecorarunt, Hispanos armorum simplicium & colorum, Hunnos figurarum coloris, sive rebus proprii, sive aliunde ex arbitrio questiti, rebus tamen ipsis, quas pingebant, alieni, inventores fuisse tradunt. Anglos corporis ereique scuti colores determinasse, quos postea Galli propagarunt, & militis

tia gloriâ per totum terrarum orbem disseminarunt; Fridericum, ut jura eorum in heredes ac successores descenderent, statuisse. Sed natam existimaverim hanc disceptationem ex eo, quod speciem quandam hodiernorum insignium fortè præ se tulerint illa veterum, occasionemque dederint his excogitandis & in usum vocandis. Præcipuè ab Ægyptiis, penes quos characterum præ cæteris fuit frequentia, morem insignia tribuendi, ad alias quoque gentes, Græcos, Romanos, Germanos, Gallos, translatum autumant. Sic Ægyptios, Diodor. Siculus, Biblioth. L. I. p. 54. refert, ob confusionem, à vicinis sæpè victos excogitasse, ut signa cohortibus præferentur, atque animalium imagines, sauritiis sive hastis affixas, Ducibus gestandas commisisse. Quoniam ergo communi consensu ex militiâ cœperunt insignia, de vexillis autem ante Ægyptiorum, non constat quicquam; inde nulli rectius, quam huic genti originem illorum adscribendam opinantur.

Verum concessio aliquid similitudinis in eorum signis fuisse, unde consuetudo tandem potuit invaluisse nostrorum insignium; ad usum tamen, quem in sequentibus ostendam, moremque hodiernum, minimè fuerunt culta & exornata: nam uti successu temporum rebus omnibus cultura accedit, ita hæc majori nitore comparuisse dubium non est. Sanè nulla, constanti alicujus Historici fide, vel imperiorum vel familiarum insignia, seculis, à nato Christo, nono, decimo vel undecimo antiquiora queunt proferri & monstrari; conjecturis solummodò, & vacillantibus admodum rationibus, eorum nituntur commenta, qui vetustiora credi voluerunt. Quorum sententiam, cap. 3. Celeberrimus Schefferus, libro sæpe nominato, sufficienter refellit, postquam Adversariorum opiniones examinavit varias, ita concludens: *Si non ante* (secula intelligit modò dicta,) *apud Germanos, Gallos, Hispanos, Anglos, exstiteret, quod jam planum factum in precedentibus, frustra*

stra aliis tribuentur imperiis, quorum auctoritas & potentia, cum his collata, istis, proximèque præcedentibus temporibus longè minor fuit.

§. VII.

Quando ergo, & à quo, insignia primum fuerint ulurpata, non immeritò quæsieris? sed ne mireris, certi nihil me hâc de re posse docere, quam, majori scientiâ subactus quis, vix fide infallibili & acuratè ostenderit. Limnæi, L. VI. cap. 6. pro me utar verbis: *in ejusmodi (agit de insignibus) gentium inventis, si de primo auctore questio sit, vestigia non nisi obscura sunt, sufficit communem novisse usum.* Quia autem Schefferi aperui mentem, cui plurimi quoque alii Eruditorum favent; quam ille causam, quodque initium his tribuat, referam. *Cum, inquit, insignium consuetudo per orbem Europæum non ita magnis invaluerit intervallis, sed uno pænè tempore, communem occasionem habuisse existimandum, nullamque aliam, quàm consociatio-*

nem istam Christianorum contra Saracenos, in qua necesse fuit propemodum, tot diversas distinguere gentes, ad alios aliosque Principes spectantes, peculiaribus aliquibus insignibus, qua deinde extra militiam domi quoque usurpata. Similiter Nobilissimus Spelmannus, Apologiae suae pag. 35. Ut cunque se res habet, mox à Caroli M. evo invaluisse videtur inter Principes & potiores Nobiles per Germaniam, Italiam, Galliam, Hispaniam, praecipue bella contra Saracenos tractantes, mox per alias Europae regiones. Confluentibus enim undecunque in communem hostem Christianorum copiis, ne insignis multitudo confusione premeretur, discerpicula necessario adhibenda. Adparet hinc luculenter, quae prima origo fuerit, & quænam occasio, unde exemplum nati reliqui; quemadmodum fieri solet, idem secuti, paulatim deinceps sibi quoque, in civilem usum, insignia formanda curarunt. Nec hoc Spelmanni iudicium Webero displicet, quidam licet ab Henrico Aucupe, seculo X, una cum ludis equestribus, apud Germanos introducta poti-

potius credant. Sententiarum divortia
 Marcus Welferus, L. 4. rerum Augusta-
 nar: Vindelic: circa finem, hoc modo
 conciliat: *Insignium leges Carolum Magnum
 non prævertunt, à quo primùm adumbratae,
 sub Henrico verd Aucupe & posteris perpolite
 demum fuerint.* Omnium verisimillimam,
 & plerisque Eruditorum comprobata,
 idem Weberus illorum existimat senten-
 tiam, qui temporibus expeditionum
 Christianarum adversus infideles, impri-
 mis Duce Godofriedo Bullioneo, nec non
 Imperatore Friderico Barbarossa susce-
 ptarum, cœpisse ajunt, quando non so-
 lùm constans eorum usus introductus;
 sed & ars Heraldica ad certam præcep-
 torum normam fuisset exulta. Libe-
 rum heic cuivis relinquo judicium, in-
 terim certum manet, hanc consuetudi-
 nem, intra tria illa secula supra memo-
 rata, invaluisse, antea omnibus gentibus
 incognitam, hodieque à nullis, præter
 Europæos populos, receptam, quantum,
 saltim ex alto illo in Historiis, silentio,
 conjecturâ adsequimur.

§. VIII.

Nunc ultimo loco, commodi quid usus horum præstet insignium, tribus verbis differam. Sive à Potestate summâ imperii sumta fuerint insignia, sive Nobilibus aliisque familiaria data; *in genere* hunc utraque semper habent usum, quod confusionem, quæ discordiæ mater est, prohibeant, illud regnum, illumque Regem, cujus sunt notæ indicent, & familiam unam ab aliâ discernant: adeoque, teste Scheffero cap. 1. de insign: *nulla sunt, quæ non munus & certum aliquem statum significant, nulla quæ non distinguunt. Specialis* eorundem, & quidem gentilitiorum, usus frequentissimus observatur in sigillis, quibus majoris fidei ergo scripta solent muniri; reliquos, cum mihi non constent, taceam. Cæterum imperii insignia, sæpius & modò nominatus Auctor Lib. dicti cap. 7, pro diversitate temporum Republicæ, vel ad pacis, vel belli applicat negotia. *In bellis, inquit,*

impo-

imponuntur vexillis, & cum primis supremi Ducis vexillo, non solum ut acies ab acie distinguatur, verum ad auctoritatem, & summi Imperatoris presentiam significandam, vel ejus, qui locum tenet absentis, quo stante, omnes in id intenti stabunt, aut moto sese movebunt. Iisdem quoque insignibus, receptos in gratiam ab injuriâ sævientium immunes servari dicit; nec non nuncios, oratores & feciales, quoties cum hoste agunt, tuto negotium expedire. In pace, hos præcipuos usus ostendit: acta illis, decretaque publica firmari; Epistolis, pactis & similibus, apud alios amicos inimicosve, fidem conferri; monetis auctoritatem & valorem tribui; ponderibus mensurisque imponi, ne quis fraude utatur in proximum; quæ usui Principis necessaria fuerint, à promiscuè emendi, vendendique licentiâ illis adpietis, eximi; ministeria navium aut vehiculorum inscriptio

ne illorum obtineri, & tandem pu-
 blicos quosdam ministros, quales
 quoque tabellarii, securitatis gra-
 tiâ, illis, in vestimentis suis notari.
 Minores, verò qui ad publicum ita non
 faciunt, usus omittit. Quare heic
 jam filum dissertatiunculæ instituti
 memor abrumpam. **TU LECT. BEN.**
 pro insigni Tuo candore, quæ co-
 arctata adtuli, æqui bonique
 consule.

SOLI DEO GLORIA.

